



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Monitum tertium, peccant mortaliter & excommunicationem incurrunt, qui
vetant præsertim lege latâ, ne locis & personis Ecclesiasticorum,
quicquam ex bonis stabilibus legetur in testamento, vel alio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

lib. 10. Epist. 73. Plutarchus in Numa, Marcello, & in qq. Rom. 44. & vlt. Lampridius in vita Alex. Imp. Quod si verò obstinatus aliquis à Sacerdotum arbitrio recesserit, impietatis arguatur, omnique arcebat amicitiam consuetudine. Hoc apud Athenienses religiosè admodum obseruatum fuisse, memorat Plato lib. 5. de legibus propè finem, Aristophanes in Horis, Euripides in Oreste; Cicero lib. 3. Offic. Apud Gallos Cæsar lib. 6. de bello Gall. Apud Germanos, Tacitus lib. 6. hist. siue de moribus German. Apud Romanos, Cicero lib. 1. de diuinat. Horatius Epod. Od. 5. & apud reliquas gentes, Plinius l. 6. hist. c. 22. & l. 28. c. 2. Lilius lib. 4.

12. Sed quod magis mireris in Ethnicis, hac solâ intercedente causâ, Sacerdotum nimirum hæc in parte irreuerentiâ, plurimi Senatu suâque dignitate mouebantur, quemadmodum testatur Cicero lib. 2. de legibus; Lilius lib. 4. Plutarchus in Marcello; Valerius Max. lib. 1. c. 2. & 3. Sed operæ pretium eloquentissimum illum Romanum audire Oratorem, qui tantum in oratione pro domo sua, Pontificiæ potestati tribuit, *vt ei omnis Reipublice dignitas, omnium ciuitatum salus, vita, libertas, ara, dii penates, bona, fortuna, domicilia, illorum sapientia, fides, potestatiq; commissa creditaq; esse viderentur.* Neque aliam inuenies causam, cur Magnus Alexander, ille orbis domitor, insolens gloriæ cultor cæteroqui ferus, euerfis nobilissimæ vrbis Thebanæ manibus, Sacerdotes inuiolatos securosq; esse voluerit, cum aliter processerit cum Senatu Ciuitatis, omnique nobilitate, quam non proseripit modò, verum etiam publicatam præconis voce venalem hæcæ subiecit. Latius hac de re Elianus lib. 13. ver. hist. c. 7.

Habent igitur nostri Politico-Catholici, vel ipsos ethnicos in colendis obseruandisque Sacerdotibus Præceptores, vti nam & imitentur, & illud quod D. Ambrosius apud Gratian. in c. duo. 96. dist. refert, menti suæ diligentius imprimant, atque identidem repetant: *Aurum nimirum non tam preciosus esse plumbo, quam Regiâ potestate Ordo Sacerdotalis.*

MONITVM TERTIVM.

14. Peccati mortalis grauitatem & communem Ecclesiæ hac in parte censuram incurrun, quicunque, siue Constitutionum adminiculo, siue quæsitâ aliunde ratione, prætextu, colore, admittuntur, ne Claustris, Ecclesiis, alijsq; Sacris locis & personis, partim dono, partim testamento relicta, similiq; modo oblata, bona immobilia applicentur. Idem & de illis dictum puta, qui Ecclesiasticos impediunt in coëmendis vel commutandis possessionibus, & qui Constitutiones eiusmodi eundem, quæ fundos & prædia, dono vel testamento

data in possessionem, Secularibus diuendere, iusto seruato precio iubent. Par & de cæteris iudicium, qui Ecclesiasticos priuant mutua iureque naturali roboratâ & legitima in bona Consanguineorum successione.

Dèclaratio huius rei, facilis est neque minus clara. Quicunque enim Ecclesiasticorum saltem imminuunt libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam in te graui violant, quæ illis diuino humanoq; iure delata est, mortali primùm noxa, demum infami ab Ecclesiâ proseriptione damnantur. Sed illi qui prohibent bona immobilia Ecclesiis & personis ac locis Ecclesiasticis applicari, & qui patier illa coëmere, vel per commutationem acquirere vetant, acquisita verò Scriptoq; firmata atque concessa non possideri, sed diuendi volunt, illorumque loco æquiuales pretium, & sæpè iniquum obtrudunt, violant & imminuunt immunitatem Ecclesiasticam. Igitur nõ peccati modo lethalis, verum etiam excommunicationis pœnam contrahunt. Ita summus Christi in terris Vicarius constituit Bonifacius Papa VIII. in c. fin. de reb. Eccles. non alienandis in 6. Alexander 4. in c. 1. de immunit. Eccl. eodem libro: Innocentius III. in c. fin. de reb. Eccl. non alienand. Gregorius IX. Clemens IV. Martinus IV. nostræ verò proximus ætati Paulus V. anno 1606. minori de causâ, anathemate percussit, & à communi Catholicorum consuetudine seiuinxit Rempublicam Venetam, omnemque illius ditionem. Causam quærit inter præcipuas, hæc.

Statuerat ea Respublica anno 1605, ne intra dominium Venetum, quisquam auderet absque licentia Senatus, fundos & immobilia bona, in Ecclesias, aliosq; pios vsus etogere vel dispensare. Quod si quis iam eis impenderit, certo interiecto spatio temporis, debebant Ecclesiastici bona diuendere, acceptamq; pecuniam conuertere in pios vsus. Attamen in hac Venetorum Constitutione, tria quedam mitiora videre est, quæ in his nostrorum Politicorum machinationibus desiderates. *Primò*: non prohibebant absoluit, quemadmodum nostri Politici, Ecclesiasticos bonorum immobilium hæredes scribi, *Secundò*: Concedebant Veneti Ecclesiasticis bonorum immobilium donationes, at secus nostri volunt Politici, vt nimirum velint, nolint, acquiescant quantumcunque ex diuenditis bonis pretio. *Tertiò*: Permittiebant, vt bonis ex æquo venditis illam referrent Ecclesiastici pecuniam, quæ par esset pretio rei æstimatæ; nostri verò Politici prætentunt, vt aliquid pecuniæ; pro bonis acceptis offeratur, quarta nimirum pars ex pretio æstimatæ rei; quemadmodum Monialibus pendendi solet. Nihilominus tamen, hæc solam ob causam Paulus V. declarauit, ideo quoque Venetos tum temporis proseriptos fuisse ab Ecclesiâ

Ecclesia editis diris Pontificiis. Multo magis in iure Ecclesiastico communit, à Sede Apostolica, ipso facto promerito feruntur anathemate, qui Ecclesiis & personis atque locis Ecclesiasticis obfunt, cum notabili immunitatis Ecclesiasticæ detrimento.

17. Scimus libertatem Ecclesiasticam nunquam nobilitati postponi, Nobiles tamen ex prærogativa sui generis cum fundos coëmunt, & bona immobilia, sibi testamento relicta, dataque vsurpant, certè vim inferri Nobilitati procul dubio dicerent, si quid Ecclesiastici contra allegarent, nec fundos à nobilibus coëmi permetterent. Illi verò de facto, prohibent à coëmendis bonis Ecclesiasticis, nullam tamen vim eorum dignitati, nullum libertati præiudicium se inferre putant, sed immeritò. Equidem Tridentinum aliaque grauissimorum Patrum antea memòriæ Concilia, vt & Honorius Papa cap. nouerit 49. & cap. grauem. 13. de senten. excomm. diris Pontificiis deuouit violatores iurium & personarum Ecclesiasticarum: idco quicumque tam grauis excessus conscius est, excommunicationem incurrit & peccati mortalis noxam, cum ea, non nisi in mortalis peccati penam secundum Theologos & ius Canonicum exeratur. Egregiè docet insignis Iurista Baldus in repet. l. i. c. de Sacros. Eccl. ius libertatis Ecclesiasticæ esse potestatem id faciendi, quod alicui placet & quod honestè & decenter fit ab aliis. L. Libertas ff. de stat. hom. §. i. infir. de iur. person.

18. Quoniam verò ex vi iuris Ecclesiastici, à Deo, & SS. Patribus, & Imperatoribus approbati, Ecclesie in plenitudine sui iuris, & libertatis integritate debent letari, in c. 2. de immun. Eccl. in 6. Nullus omnino sine graui conscientie noxâ, poterit contrariâ Constitutione, vel quocunque modo ius Ecclesiasticum abrogare, quod si quis hac in parte deliquerit, ius diuinum & humanum violauit, & grauissimâ immunitatè Ecclesiasticam affectit iniuriâ.

19. Primò. Quia violat & aufert, quæ iure diuino & Ecclesiastico, immò & humano, concessa sunt Ecclesiis. Multis ab hinc annis Constantinus Magnus, benè communiuit hanc immunitatem l. i. c. de Sacros. Eccl. Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio bonorum quod optauerit relinquere, & non sine iussa iudicia eius. Idem stabiliiuit Iustinianus Imperator l. fin. c. eodem tit. Cauèant igitur Ecclesiarum violatores, ne sibi dicatur quod S. Gregor. in Psal. 5. pœnit. v. 9. Mauritio Imperatori, circa immunitatem Ecclesiasticam restingendam sollicito scripsit. Nulla, inquit, ratio fuit, vt inter Reges habeatur, qui turpissimi lucri cupiditate illecti, sponsam Christi captiuam cupit abducere. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis precio redemptam Saluator noster voluit esse liberam, hanc, ipse potestatis regia iura transcendens, facere conatur

Lancicij Opusc. Tom. 2.

ancillam. Sed etsi Ecclesiastici nullum quoad hoc ius haberent præter Ecclesiasticum, nulla Respub. secularis potest hoc Ecclesiasticis adimere. Extat hæc de re in iure Casareo clara Decisio Valeriani & Marciani Imperatorum. Omnes pragmaticas sanctiones, contra Canones Ecclesiasticos, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus c. de Sacros. Eccl. l. Priuilegia. Idem allegerunt iura Ecclesiastica: Imperiali iudicio non possunt Ecclesiastica iura dissolui, inquit Nicolaus Papa apud Gratian. dist. 10. Can. 1. & can. 4. Idem & Felix Romanus pariter Pontifex decernit, cum ait: Constitutiones contra Canones & Decreta Presulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti. Causam quæris? Statim subdit: Imperatores enim Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Presulibus, non presere. Can. Si Imperator dist. 96. in fine. Ex his concludo, quicumque contra Diuinum, Ecclesiasticum, & Imperiale ius, arcebit Ecclesiasticos à bonis nobilium coëmendis, vt violator iuris & causa plurimarum iniuriarum inde manantium, à graui peccato, non erit immunis.

20. Secundò. Grauitas illatæ iniuriæ hinc etiam colligitur. Quilibet enim mortalium, de iure natura, & de iure gentium sua bona dispensare potest pro libitu in varios vsus. Quis autem hic non videat quàm angustis limitibus, libertas nobilium, ab ipsis quasi libertatis vindictibus & defensoribus includatur, cum nobiles, liberè fundos bonaque sua in vsus pios impendere nequeunt? Constantinus Magnus concessâ omnimodâ facultate, bona immobilia, testamento relicta Ecclesiis applicandi, Politicam sanè, facti subdit rationem. Nihil est enim, quod magis hominibus debeatur, quàm vt supreme voluntati liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Et ita nostri Politici cum omnia possidere peroptant, atque donationes pro Ecclesiarum vsibus fieri vetant, non libertatem modo Ecclesiasticam, sed etiam, vt vocant, ciuilem constringunt, simulque grauius peccant.

In absoluto dominio maior exeritur in subditos potestas quàm in liberâ Republicâ, vt est nostra, & tamen absoluti Reges non sunt domini bonorum spectantium ad particulares personas, penes quas tantum absolutum eorum est dominium. Quilibet in re propriâ est moderator & arbiter l. in re mandata c. mandat. l. etsi lege §. consultui ff. de per. hered. Neque discrepat à nobis Seneca lib. 7. de Benef. c. 4. Ad Reges potestas omnium pertinet: ad singulos, proprietatis. Et c. 5. sub optimo Rege. Rex omnia imperio possidet: singuli, dominium. At quod illud dominium? Nonne libera possidentis rerum suarum dispensatio, earumque in res honestas, atque adeo pios vsus conuersio? Itaque quicumque dominium & proprietatem particulatibus personis adimit, grauem admodum Nobilitati infligit iniuriâ,

Kkk alie-

alienando ab eâ vsum dominij & proprietatis, sed vel maximè ex hac parte, quòd prohibeat bona, abundè satis à Deo concessa in vsus pios conuertere, quæ alioquin expenduntur in luxum, in minus necessariam seruitorum multitudinem, vti nam & non in ipsâ peccata, quasi pro nefas! Deus non nisi ad fouenda tua scelerata tibi tot tantaque bona dedisset. Melius longè consuletis vobis DD. Politici, si in eos facultates impenderit, qui vestris peccatis offensum Numen, assiduis precibus, à debitâ sceleribus pœnâ, & præcoci nimis vindictâ detineant. *Va terrarum orbi*, dixit quondam Christus D. S. Teresîa: pridem iam concidisset, ni Religiosorum precibus à lapsu erigeretur, licet, inquit, videas nonnullas Religiones à perfectione, qua maximè in illarum incunabulis viguit, desinuisse. Ita leges apud Riberam libr. 1. capite 12. vitæ S. Teresîæ.

21. *Tertio*. Maior est iniuria, prohibere coëmpcionem, donationem & commutationem bonorum immobilium, quàm mobilium: nihilominus tamen vniuersam Ecclesiam administrante Simmacho Romano Pontifice Anno 302. in Concilio quodam lecta est Constitutio Basilij cuiusdam Principis viri, nomine Odoacri Regis condita, & tantum rerum mobilium, in auro, argento, preciosis lapidibus & vestibus pro Ecclesiarum vsibus testamento relictarum, iustam ex æquo, vt cuiusque rei pretium requirebat venditionem inhiens, propter aptiores coëmpcionas, addito, si priores ad vsum & ornatum Ecclesiasticum prorsus essent inutiles, lecta inquam, simulque à Petro Archiepiscopo Rauensensi, demum à toto Concilio, vt iniqua reprobata est, quemadmodum legimus in Decreto distin. 96. C. Benè. Quid hic nostri Politici, immò quid illud Concilium ageret: ægrè ferebat solam commutationem bonorum mobilium, idque precio æquivalente, quo aptiora pro vsu & ornatu templi coëmi poterant, hanc verò tam immitem Constitutionem, quæ fundorum etiam & rerum immobilium possessionem prohibet, quomodo ferret?

22. *Quarto*. Obligatur quilibet mortalium ad sedulam curam augendæ gratiæ diuinæ, placandæ summæ Maiestatis, tollendæ pœnæ, cui quilibet post peccatum succumbit, denique obtinendi nostris in necessitatibus ac arumnis, cælestis auxiliij. Quid verò sine Sacerdotum precibus proficiemus? in manibus eorum sunt necessitates nostræ: nam & ipse Deus. Liberalitate igitur & munificentiâ opus est, quâ quodam velut fœdere, illos nobis tempestiuè deuincamus. Crescant nostra beneficia, crescet & Diuina erga nos bonitas, à Sacerdotibus quâ precibus, quâ lachrymis exorata. Sed videat ille, quantam homini naturæ legibus libero, infligat iniuriam, dum cauet, ne ea dispenset, ad quæ vbertim profundenda, & commune ius à

Deo, & à se ipso habet.

Quinto. Verùm & Deus ipse, non minore ab eo affligitur iniuriâ, qui dum prouentus Ecclesiis dari vetat, eo ipso maiorem Dei cultum impedit. Preces enim & Sacerdotes, sunt quidam velut honoris Diuini præcones, eò plures, quòd plures & Sacerdotes, deerunt tamen si prouentus receperint.

Sexto. Euentu comprobatum est, multos debere compensare, propter illata damna, res in inuenture, vel alibi malè partas, variis personis quæ sine prole decesserunt. Hinc cum non datur facultas, salnâ nominis famâ, iniquè parata compensandi, conferunt, (quod optime fieri potest) ea in templorum vsum, ornatum, atque Ecclesiasticorum sustentationem. Noui quendam Principem virum in Polonia iam demortuum, cui, ob certa damna & iniurias, plurimis in inuenture illatas, ad instantiam P. Petri Alagonæ Soc. Iesu, Clemens Octauus loco satisfactionis assignauit, vt aliquid magni momenti, in vsum Ecclesiasticum conuerteret. Nec desideres mandati executionem? Erexit enim à fundamentis aliquot cænobia, & Ecclesias rariis Religiosorum Ordinibus, eisque ante mortem non contemnendos prouentus ac prædia applicando, expendit aliquoties centena millia. Sed plures & hodie tales reperitur. Prohibere illos DD. Politici, quod lege diuinâ & naturali cogantur in conscientia, restitutionis & satisfactionis causâ exequi, non hæc vis & iniuria est tantò grauior, quòd periculosior. Quæris: qui sunt illi, quibus illata damna pensandi necessitas incumbit non noui, tu videris; illi certè ne incurrant infamiam notam, se non propalabunt.

Septimo. Hæc prohibito, extinguit omnino debitam gratitudinem, ideoque iniusta & iniuriosa est, quia tam nobili virtuti, campum remunerationis occudit. Plurimos reperites, qui propter accepta insignia quædam beneficia ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis adeo se obligatos sentiunt vt non remuneratione modo, sed etiam si necessum fuerit, profuso sanguine à se beneficia percepta rependere sint parati. Nihilominus tamen, ecce tibi, cum peroptant suâ antidotali remuneratione gratitudinem declarare, impediuntur ab obstrepentibus aduertentiorum linguis, quasi parum illis esset, quod sua Deo negent, nisi etiam alios eadem ingratitude notâ adaspererint.

Octauo. Ad quod faciendum & Legis Diuinæ autoritas & naturæ consilium adigit, illud nullo modo ab executione retardari potest. Quod si quempiam extremâ necessitate præuentum videris, cum potes ei prodesse minus impensis & negligis, peccas mortaliter. Quis verò ignorat, multarum satis Ecclesiarum & locorum Sacrorum eis personis, quæ Deo atque Reipublicæ quâ continuis orationibus, quâ

quã Sacrificiis & quotidianis vitæ religioſæ ſeruiunt exercitiis quorum lacrymæ, vt S. Nazianzenus or. 1. in Iulianum, ait, ſunt diluuium peccati, & mundi expiamentum; tantam egeſtatem eſſe, vt perſonæ Eccleſiarum miniſteris deſtinatæ, nec victus quidem commodam habeant facultatem, ideoque plurima debita iam contraxerint. Hinc ad clauſtra patefactus, propriatati aditus, at cum quanto rei Chriſtianæ damno viciniſimos Religioſi oberrant pagos domoſque, graues ſunt aſſinibus (& quod maximè deteſtandum eſt) quibus cohæbitant, quorum in aulis & prædiis aluntur, concubinariorum eiſdem ſemper immerſos peccatis abſoluunt, modo miſeram hanc vitam ſuſtentare poſſint. Hinc & feneratoribus omninò ſe accommodant, qui commodatis pecuniis iniquè pagos & bona alterius retinent, non fiduciariã mancipatione (quæ vtrique licita eſt) ſed verè, tantummodo pro ipſa mutatione pecuniæ, inſignes prouentus ex prædiis referunt, licet interim, neque lucrum ceſſans neque damnum emergens ſequatur. Sed facile via præcluditur tot ſcandalis, ſi ſufficientes prouentus, & commoda vitæ ſuſtentatio, Religioſos intra domeſticos parietes clauſerit: nunquam verò claudet, quàm diu DD. Politici ſuis Conſtitutionibus prohibebunt, ipſi tamen vti tot malorum atque grauiffimorum exceſſuum auctores, exactam aliquando rationem Deo reddiduri.

17. Nondè Ipſe Chriſtus Deus & homo, aſſerente Innocentio Papa, ad cap. cum ſuper num 3. de cauſ. poſſ. & prop. Chriſtus eſt Dominus honorum Eccleſiaſticorum, taliaque bona nuncupantur in iure, non niſi Chriſti patrimonium Cap. cum ex eo 34. de Eleſt. l. 6. Hanc igitur ob cauſam, qui vetat bona Eccleſiis relinquere teſtamento, expreſſè vetat, eo ipſo dari Chriſto Domino. Poſteſtne maior vis & iniuria reperiri, quàm quæ Deo inferitur? Deo: qui vbi vitæ exceſſeris, ſeuerus Iudex ſuum ad tribunal te citabit: Deo: à quo moriturus, ac etiam benè ſanus, illius ſententiæ ſtrictam præſtolari executionem, Matt. 7. v. 2. Quã menſurã menſi fueritis, eadem remetietur vobis: Deo: qui tibi exprobrabit Matth. 23. v. 45. Quamdiu non feciſti vni de minoribus his, nec mihi feciſti. Si enim illis dicit: *Itē maledicti in ignem æternum, qui dum poſſent benefacere ſeruis ipſius, neglexerunt;* quãtò magis fulmen hoc itæ Diuinæ concernit eos, qui non tantùm omittunt munificentiam vacare in ſervos Chriſti, cum poſſent, verùm etiam peroptantes licet alios, bona ſua in Eccleſiaſticos diſpenſare pertinaciùs impediunt. Hinc tot articuli, tot Conſtitutiones in Comitibus expetitæ, hinc contra patriam ſæpiùs excitatus tumultus, quòd eorum machinationes ſuo calculo diu recularet comprobare. Hinc demum quæ minis, quæ falſis delationibus Eccleſiaſticus Ordo, non apud

Lancij Opus. Tom. 2.

ſæculares modo Catholicos, ſed & ipſos hæreticos indignis maleuolorum contumeliis, miſerandum in modum eſt proſtitutus. *Decimò.* Magna iniuria & ex hac parte Eccleſiaſticis inferitur, quòd propter minus cauſam hanc prohibitionem, comparantur Iudæis & infimæ plebi, cui bona immobilia in poſſeſſionem teſtamento relinquere vetant Conſtitutiones politicae.

Vndecimò. Immò pluriſ cenſendi ſunt apud eos Ethnici, quàm Eccleſiaſtici, cum illis iure gentium, licitum ſit vbiq; fundos, ſiue per modum coemptionis, ſiue per modum commutationis poſſidere. Sed & in noſtra Republica conſeſſum eſt, vni barbaro Scythæ bona Nobilium, etiam immobilia teſtamento legari vel ab eo poſſe coëmi. Noſtri tamen Politici tali Eccleſiaſticos libertate vti nolunt, quã gaudent ipſi Ethnici.

Duodecimò. Sed quòd horret animus cogitare nedum loqui aut hiſce mandare literis, nobiles ſæminas, ſædo corporis queſtu ſibi cohæbitantes, iidem ipſi Politici pluriſ faciunt, quàm venerandos Chriſti Eccleſiæ adminiſtros. Conſeſſiſtis concubinis teſtamento relictos fundos occupare, vel eoſdem coëmere, nec à quopiam adiguntur ad abdicationem bonorum immobilium, vel ſaltem ad certiam, pro bonis venditis pecuniæ ſummam, vti coguntur viri Religioſi, Sacraque Deo Virgines. O deplorandam Nobilium conditionem! hiccine honos generoſo ſanguini! Itane ò Polona Nobilitas, apud exteros, non dico Catholicos, ſed ipſos hæreticos, atque aded Turcas infideles, longis partam ſudoribus nominis famam proſtituit? Audient Ethnici apud Poloniam & Lithuaniam gentem eamque Catholicam, pluriſ habitas concubinas, quàm Sanctiſſimos Eccleſiaſticos. Videbunt hæretici ſuos impoſtores, Verbi Dei pseudo-miniſtros, liberalioribus munitis redditibus, quàm fideles Chriſti Eccleſiæ propugnatores, viros Apoſtolicos, in regnò Catholicorum! Ecce tibi, non ita pridem in Comitibus Verſamentibus à Senatu impenſè poſtularunt, & credo niſi ſatiſſiat illis, non quieſcent à petitis, vt ſibi liceret ſana eorumque adminiſtros, perpetuis redditibus ex bonis immobilibus nobilium, armare, ſed contra fidem Catholicam & ipſam Senatū. Quid hinc Catholicos? Eadem fortè meditantur pro Eccleſia omnem interponunt curam, agunt apud Senatū & Rempub. Nihilominus cogitant: quiniſmò per ſummam audaciam, in iſſdem Comitibus contra ſuos Patres inſurgunt degeneres filij. Sed quos à quibus neceſſariam vitæ inſtituendæ rationem, ſanamque doctrinam hauſerunt, à quibus, in virtutibus Chriſtianis & morum integritate ad omnem vitam inſtructi ſunt: à quibus in Eccleſiis ad vitam Chriſti monitis conformem, per pias &

Kkk 2 fre

frequentes hortationes rudes edocentur : à quibus suffragium, quæ uiuentium, quæ mortuorum animæ, per oblata sacrificia, orationes, & Sacramenta referuntur quibus fidei Catholicæ vel redditu omnino, vel in eadem nutantes salutaribus alloquiis confirmati sunt: Tantumne igitur lucri, tantum gratitudinis pro tot beneficiis recipiunt? Equidem nunquam tot obsequiis, aulicis, cubicularij, cæterique de grege seruatorum, nec tanto affectu, labore, persequerantia, suos cumulare dominos, & tamen in censibus & prouentibus Ecclesiasticos superant, immò in eorum usum nobiles, passim fundos, prædia, multa que bona immobilia coemunt.

30.

Decimotertiò. Vis & iniuria Ecclesiasticis illata, in quantum Religiosis uotis obstricti sunt idè maior & iniquior est, quod Ecclesiasticos iure communi (nihil hinc loquor de diuino) omnino priuet. In donationes enim plus habent iuris communis Religiosi, quàm ipsi filij naturales, de hac re satis clarè Felinus egregius Iurisperitus, in Comm. sup. decretalem in præsentia de probationibus colum. 21. ubi recenset Statuta Cæsarea & Ecclesiastica, in quantum causæ seruiunt, & clarissimis argumentis ex rationibus petitis veritatem comprobant. Etenim secundum ius commune, si quempiam in tuis bonis hæredem dixisti, & nascitur interim tibi filius, ea sola filij natiuitas, ex vi iuris, delet ac inualidum reddit priorem donationem L. Si unquam. Capite, de reuocandis donationibus. Sed si bona tua Monasterio, vel cænobio addixisti, iam filius non nisi in quartam bonorum partem, quàm iuristæ legitimam uocant, accedet. Hanc sententiam insignis hic Doctor, altera Baldi magni nominis Iuristæ, confirmat. in l. prima de inofficiosis donationibus, & Abbatis in Cap. final. de donation. Demum uterque concludit legem. si unquam; in his donationibus, quæ pijs uisibus assignantur, locum non habere, uti supra recensuimus. Eidem ad stipulatur & Glossa in Cap. fin. Quicumque 17. 44. Cur autem ex vi iuris communis maioribus priuilegijs gaudeat causa pia, quàm filij orbitas? hanc rationem assignat Felinus, quòd ille qui bona sua confert Ecclesiæ, faciat id ex necessitate atque curâ singulari, quam de animæ salute quilibet mortalium habet, utpote de bono caducis omnibus præstantissimo. Ad hæc, secundum ius commune, donatio Ecclesiis applicata, absolutum in se transfert dominium sine ulla traditione. l. fin. C. de Sacros. Eccl. eadem uerò filio relicta nihil habet huiusmodi l. Secunda. C. Si quis alteri vel sibi. l. siue mancipati. C. de donat. Præterea filius in hæredem non succedit, nisi dato signo vel nutu oculi à parente, dum condit testamentum l. Discretis C. qui testam. facere poss. Nihilominus tamen testamentum factum in fauorem

causarum piarum solo tantum signo uel motu oculi ualidum est. ex vi communis iuris. uti Felinus, Bartolus, Baldus, Immo, & Ancarandus non minus copiosè quàm sapienter asserunt. Quamobrem Ecclesiastici tam egregiè iure communi sunt muniti, ut nulla Respublica secularis, illud eis abrogare possit, quòd si quis aliquid eiusmodi tentare præsumpserit, eos certè graui affligit iniuria.

Decimoquartò. Nobilis, amplexus Religionem aliquam uel Statum Ecclesiasticum sæcularem, nullam generis tacturam subit. Quod licet per se satis apertum sit nec argumentis indigeat, probat tamen Tiraquel. de Nob. C. 26. n. 3. Roman. in singul. 37. Simulque narrat Decisionem S. Rotæ ex quadam occasione factam, Rebuff. de Nominat. q. 12. n. 31. &c. Immo nobili domo oriundus eo ipso quia Ecclesiasticus est, suum genus euehit & illustrat. Sola enim Sacerdotalis dignitas, ad quam omnes Ecclesiastici ferè collimant, à D. Chrysothomo, regali solo præfertur Hom. 4. in verb. Ilai. Vidi Do. Maior est hic (Sacerdotis quàm Regis) Principatus, propterea Rex caput submitit manus Sacerdotis, & ubique in ueteri Scriptura, (quod & apud Catholicos sacrosanctè hæcenus obseruatum est) Sacerdotes, inungebant Reges. Quod autem ad Religiosos spectat, idem S. Doctor libr. 2. contra vii. vii. mon. alloquendo hominem Ethnicum, eximiam in Repub. dignitatis ac eminentiam, qui ob ingressum ad quempiam Religiosorum Ordinem filij sui uicem, contritari potuit, clarissimè, rationibus, non quidem spiritualibus, sed Politicis demonstrat, nobilitatem generis, non ita præminentiam sæculari, sicuti religioso statu illustrari: denique suas rationes ita concludit. Inuenimus illum (nimirum filium tuum Ethnicum) non modò clariorem esse nunc (cum in Religionem adoptatus est) quàm fuisse domi (agitur hic de tali filio, qui non nisi purpuratus domo prodiret in publicum) uerum ex illi ipsis rebus eam claritatem esse affectum, quibus illum tu uilem & ignobilem existimas. Cum igitur ita se res habeat, & quilibet Nobilium retineat ius hæreditariæ successionis, & acceptandæ donationis bonorum stabilium, qui illud ei sine Religioso, siue Ecclesiastico sæculari adimit, magnam vim infert, non tantum immunitati Ecclesiasticæ, sed etiam ipsi nobilitati. Et quemadmodum iniuriosi uidentur Ecclesiasticæ dignitate illustres, Prælati, si nobilitatem à possessione bonorum stabilium arcerent, uti ipsi de facto atcentur ab ea: ita multò maior iniuria sentenda est illata Ecclesiasticis nobilibus (plures enim tales inter eos reperies. quàm humili loco natos) per hæc Politicorum machinationes. Ideo, ut à tantis malis, tempestiuè Respublicæ Christianæ, Ecclesia Catholica exemit, ut nullo modo licitè possit illis imperari uenditio rerum quas possident, & in quarum deinceps domi-

dominium successuri sunt. Hoc Sedis Apostolicae Decretum, non sine diris Pontificiis in transgressores editum est à Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. sess. 10. & à Tridentino sess. 25. cap. 20. confirmatum est.

32. *Decimoquinto.* Venetam Rempubliam percussit anathemate Paulus V. omnemque eius ditionem interdicto sacrorum miserè perculit propter hanc solam causam, quòd Ecclesiasticis & piis locis quaedam donare & legare prohibuerit, multò tamen mitius quàm quæ nostri Politici, uti satis abundè ab initio præmonitionis huius ostensum est. Si igitur Respub. Veneta, non tolerandâ, iudicio Vicarij Christi Ecclesiasticas immunitates afflixit iniuriâ, & ita quidem, ut necessarium fuerit anathemate Papali atque interdicto puniti temeritatem, quantò maior vis & iniuria fiet, cum votis optatisque quorundam Catholicorum (nihil ago de hæreticis, nam illi sufficientibus cognitis quorundam Catholicorum, contra Ecclesiam infidus, à pluribus, utpote superuacaneis, sibi temperant) exitus respondeat.

33. Præmissis tot ad considerandum rationibus concludo, nullo modo posse Rempub. saluâ conscientia, uti supra memorauimus, iura & Constitutiones, in præiudicium Ecclesiasticorum statuere. Inprimis enim nihil potestatis in Ecclesiasticos habet, quos Diuina, Ecclesiastica, Imperialia, nostri denique Regni Iura, Legesque ab omni sæcularium iurisdictione exemere, quâ qui caret, ius in alium exercere nequaquam potest, licet illud non iniquum immo etiam de rebus necessariis foret. Hoc & ipsa ratio innuit, & omnes Iurisperiti ac Theologi, cum S. Thoma docent 1. 2. q. 96. a. 4. Ad hæc concedamus Rempubliam nostram, in Ecclesiasticos eo valere iure, (quod quidem nullum in Repub. est, nec esse potest) quod Episcopus in suos Parochos exerceat: nunquam tamen possit aduersus eos, quas quidâ politici desiderant, Constitutiones, etenim ab omni parte perspectis meis quindecim rationibus, eę essent iniquæ, nec mediocriter damna ac iniurias Ecclesiasticæ immunitati inferrent. Sed eudant DD. Politici quas amant, Constitutiones, ego cum S. Angustino lib. 1. de lib. arb. cap. 5. dico: *Non est lex, quæ iusta non est*: Et iterum cum eodem. *Non iura dicenda sunt, vel putanda, iniqua hominum constituta.*

MONITVM QVARTVM.

34. **N**ulla fides habenda est obtrektoribus Ordinis Ecclesiastici, falsum patriæ amorem iactantibus, qui sub specie quidem boni communis, fundos nobilium in posterum ab Ecclesiasticis possideri vetant, re ipsâ autem aduersus patriam agunt.

Sed antequam id argumentis comprobem, Lancicij Opus. Tom. 2.

quæso vos egregij patriæ vestræ fautores, quæ tandem fructum è bonis nobilium sæcularium Respub. tulit, ingentem dicitis: duplex est. Primò contributiones seu tributa, quæ Poloni appellant Poborij, in vsus & necessitates Reipub. suppeditant: deinde, imminente in hostem generali expeditione, quantum Polonæ Constitutiones volunt, armati contra hostem validum & numerosum, non qualemcunque procedere, vel sui loco alium armatum mittere. Atqui ex bonis etiam Ecclesiasticorum & Religiosorum, eadem promanant in Rempub. vectigalia. Quod si fortè quis Ecclesiasticorum laboranti patriæ, modis prædictis subuenire noluerit, est ius Ecclesiasticum, sunt Prælati, deferantur suos ad Præsides, & in Consistorio causam agant; interim alij qui solita vectigalia pendunt, viuant immunes à periculo, ne paucorum tenacitas noceat omnibus. Ego verò luce clariùs ostendam, ex bonis Ecclesiasticorum, à munificâ quondam nobilitate, ubertim prouisis & collatis, vel certè ab eisdem coemptis, maiorem in vsus Reipub. deriuari fructû, quàm ex bonis Nobilium sæcularium.

35. *Primò.* Omnes Ecclesiastici tempore designato vectigal, ex bonis propriis ad Fiscum Regium deferunt: quòd vix reperies in ipsis vectigalium exactoribus, à quibus non iam communi iure, sed per Constitutiones in Comitibus latas, per Thesaurarios Regni, frustra repetiit non semel Respublica, iam exacta tributa.

36. *Secundò.* In executione vectigalium Ecclesiastici nobilium subditis, ac etiam Regalibus multum indemnitati consulunt. Illi enim qui decimas frumeti à subditis nobilium recipiunt, ad persoluenda tributa, non tantum pro rata respectu decimarum, sed etiam dimidiam omnino partem conferunt, ita ut subditi dimidiam partem vectigalium persoluant, reliquum Ecclesiastici. Quod ipsum magno est cum graamine Status Spiritualis, & Ecclesiasticorum, quorum plurimi decimis viuunt. Plerumque autem cum plura vectigalia imponuntur, plus, quàm ex decimis collegerunt, in persoluedis vectigalibus insumunt. Ideo non pauci iam decimis interdixere sibi, & quod inde sequitur, Sacerdotes in Paræcijs constituti, eoguntur ex templo propertare ad agrum, ab altari transire ad aratrum, manibus quibus non ita pridem Augustissimum Christi Corpus gestabant, tractare vomerem, sulcare terram & abiectionibus infimæ plebis incumbere muniis, ut exiguum, pro miserâ vitæ sustentatione victum tot laboribus, ac ipsis pene lachrymis coëmant, & simul à decimis repetendis abstineant, ad grauiissima tributa hæc arte effugienda.

37. *Tertiò.* Sæpiùs Prælati Ecclesiastici, armatis fessis precibus, quanquam libenti, neque minùs